

Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon. Prieurés et dépendances des origines à 1300. Tome premier., 77

Sacrosanctae basilicae sancti Benigni martiris sub opido Divionis constructae, ubi venerabilis vir domnus Isaac preesse videtur pontifex et Bertilo corepiscopus abba, cum omni congregatione monachorum, ego Aldo et uxor mea Ermenrada, Dei intuitu cogitantes remunerationem perpetuam, pro remissione peccatorum nostrorum aliquid de rebus nostris ad ipsum sanctum locum, vel monachis ibi Deo famulantibus, concedere decrevimus, quod ita in Dei nomine agere procuravimus, hoc est in pago Divionense, in fine Gocilinese, campum arabilem, qui habet terminos, ex ambis lateribus, stradas publicas; de uno fronte, Eldinus et Gotescalcus fratres tenent; ex altera fronte terra sancti Marcelli: infra istas terminationes totum ad integrum, quicquid in predicto campo visi fuimus habere vel possidere ad memoratam basilicam sancti Benigni martiris, monachisque in eodem loco Deo servientibus, cedimus atque transfundimus de nostra potestate et dominatione, pro spe salutis aeternae vel causa sepulturae nostrae, et quicquid ab hac die et deinceps tam ipsi quam successores eorum facere voluerint, liberam in omnibus abeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi aut ullus de heredibus nostris, aut quelibet oposita persona, contra hanc epistolam cessionis venire aut agere conaverit, nullo modo valeat evindicare quod repetit, sed inferat vobis vestrisque successoribus, ad augmentum ejudem basilicae, auri libras II et nihilominus presens hec cessio firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum Divion, in basilica sancti Benigni, publice. Signum Aldonis et uxoris suae Ermenradae, qui hanc cessionem fieri et firmare rogaverunt. S. Brunardi. Achedi. Elisei. Amalrici. Auvarni. Gisleberti. Attonis. Beraldi. Arendei. Aglaudi. Merulfi. Ego Vuarnerius presbiter rogatus scripsi et subscripsi anno XXVIII Karoli regis.